



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 2. An formale Distributivæ sit æqualitas Geometrica?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

DIFFICULTAS II.

Quodnam Objectum respicit iustitia distributiva?

Omnis iustitiæ objectum remotum est jus: proximum æqualitas; de utroque agetur, decideturq; quæstio; an commutativa & distributiva differant specie?

Punctum Difficultatis 1.

An distributivæ Objectum, sit componere jus communis cum jure privati?

Docet hoc Elparza q. 18. & dat Explicationem.

PONIT 1. Tres esse classes bonorum communium. Prima est eorum, quæ communis interest, ne approprientur singulis civibus seorsim, ut jus fluvii. Secunda classis est bonorum communium, quæ communis interest, ut soli singulorum civium utilitati directè ac immediate destinentur, ut pecuniæ. Tertia classis bonorum communium est, ut distribuantur civibus ob ipsorum utilitatem, sed multo magis ob utilitatem communis, talia sunt officia publica, &c.

PONIT 2. Secundum triplicem hanc bonorum classem, triplex jus pullulare. Primum jus communis, sine jure privatorum, nisi inadæquato. Secundum jus appropriatum privatis, sed cum intentione primaria boni communis, ita tamen ut in utroq; hoc jure, intercedat comparatio, lex partitionis, &c. Circa primum jus, non potest versari distributiva, quomodo enim tunc intercederet distributiva, cum caveatur ne distribuatur? De posterioribus potest esse difficultas, quia utrumq; posterius jus comparationem dignitatis requirit. De qua comparatione.

PONIT 3. Duplicem posse esse necessitatem adhibendæ comparationis dignitatis, personarum: alia enim instituitur, ut non sistatur in dignitate ipsa secundum se, sed in æqualitate arithmetica damni & lucris. Alia autem, ut innotescat correspondentia rerum ad dignitates, sistendo in illa secundum se; priusq; illud pertinet ad commutativam, posterius ad distributivam.

Ex quo INFERT; ita esse explicandam, sicque definiendam distributivam. Quod sit virtus unicuique tribuendi jus partim collectivè sive indivisum cum aliis; partim distributivè seu seorsim suum. Commutativa verò est virtus unicuique tribuens jus adæquatè suum, distributivè seu seorsim. Additq; nomine boni communis simpliciter & absolute prolatis, intelligi, quod per se & ex natura sua est bonum communis, nec habet, nec dare potest, nisi communis, aut qui gerit personam communis, cujusmodi sunt officia publica, honores. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia. Non satisfacit intento: nam hic quæritur, quodnam jus respiciat distributiva? ille autem totus est, ut videre est posito primo, in ostendenda materia, circa quam versatur distributiva; & tamen materia iustitiæ, cum ipso jure, non est idem. Et ita in commutativa materia sunt v.g. pannus, panis &c. neq; tamen hæc sunt jus, quod respicit commutativa. Quod autem Præmissio secundo dicit jus distributivæ, esse jus appropriatum etiam privatis, cum intentione primaria boni communis, hoc jus potius est effectus distributivæ, modusq; dominandi & possidendi rem distributam, non autem jus, quod æquare in ante, intendat iustitia. Sic v.g. jus quod est potestas, rem commutandi & utendi re sicut volueris, non est jus, cujus æquatio constituat commutativam, sed effectus, modusque possidendi, commutatione acquisitum, ita & in præfenti. Tum quia. Immerito dicit distributivam ut sic, spectare ad communis, vel eum qui personam gerit communis: quia in probabilis sententia, datur in Deo distributiva, & in nostris principiis, quasi distributiva: neque tamen hæc debetur Deo, quasi gerenti vicem communis, sed præcisè ratione suæ excellentiæ. In republica etiam Angelorum, debet esse distributio honorum Angelicorum, qui honor maximus deberetur supremo Angelo, gubernatioq; reliquorum: quia gubernatio ex intrinsicis principiis penes excellentissimum esse debet, nisi morale vitium impediatur, quo casu excellentissimus ille Angelus, haberet distributivam respectu inferiorum, & tamen non haberet ratione ejus, quod personam gereret communis; sed quia naturæ excellentissimus est, licet ordinariè distributiva in humanis, sit penes communis, vel gerentem personam communis: quia inter homines non datur supremas aliqua sequens excellentiam naturalem. Tum quia. Sicut unus idemq; actus fieri potest ex pluribus motivis, ita & collatio dignitatis potest fieri ex plurium iustitiarum motivis, modo illarum formale, in illa collatione reluceat. Pone ergo in collatione dignitatum primario relucere intentionem boni communis, certè erit tunc actus iustitiæ legalis: hæc enim tunc actus bonum commune intendit; da ergo aliud formalisativum iustitiæ distributivæ, & non intentionem boni communis; quia hæc spectat ad legalem. Cum tamen ad hanc intentionem recurrat Elparza.

Punctum Difficultatis 2.

An formale Distributivæ sit æqualitas Geometrica?

EXPLICATUR 2. Idque communiter. Formale objectum distributivæ, quod sit æqualitas

litas secundum proportionem geometricam. E contra æqualitas secundum proportionem arithmeticam, erit objectum commutativæ. *Hec explicatio*

NON SATISFACIT 1. Concedi quidem potest, quod semper & omni distributivæ, conveniat attendere ad æqualitatem geometricam, sed non soli; eo quod in multis, etiam commutativæ, attendat ad proportionem geometricam, licet non semper nec omnis, quando enim debetur unum uni, nulla est necessaria consideratio proportionis geometricæ. Quamvis autem S. Thomas, & Aristoteles in explicanda distributiva meminerint *proportionis geometricæ*, meminerunt tanquam rationis, quæ & omni, & semper conveniat distributivæ, adeoque rationis, quæ ex his duobus titulis magis sit adstricta ad distributivam, quod etiam post Suar. docuit Lugo. Quod autem etiam commutativæ conveniat interdum attendere ad proportionem geometricam, plures Instantiæ formantur ab Auctoribus.

1. INSTANTIA. Ex Lugo, quam desumit ex 5. Eth. c. 2. & 4. ubi docet Aristoteles ad justitiam commutativam pertinere, ut emendet commercia humana, sæpè autem in ejusmodi emendatione, debet servari æqualitas geometrica, ut cumquis ex contractu debet multis, quibus non potest integrè satisfacere, adeoque debet singulis satisfacere, plùs vel minus secundum majus vel minus debitum.

2. INSTANTIA. Cum ex contractu societatis debet lucrum dividi inter socios per partes inæquales, attendi tunc debet ad proportionem geometricam.

3. INSTANTIA. Ex Buridano. Quando ex liberalitate largitur aliquis bona suis famulis, secundum proportionem geometricam.

4. INSTANTIA. Potest aliquis pacisci pro operis, intervenietq; tunc commutativa; & tamen fieri potest pactum de solutione secundum proportionem geometricam ad laborem.

5. INSTANTIA. Potest aliquis intuitu boni communis conferre magistratum, secundum proportionem geometricam, facietque tunc actum legalis justitiæ: quia respiciet ejus motivum, & tamen secundum proportionem geometricam, quod accideret, si proponeretur præmium à Republica ea conditione, ut illud accipiat dignissimus.

RESPONDEBIS 1. In adlatis exemplis adhiberi proportionem geometricam solum directivè, & per accidens, non autem formaliter & constitutivè, quo tamen modo adhibetur in distributiva.

CONTRA. Ergo æqualitas proportionis geometricæ, non potest esse constitutiva distributivæ: quia universaliter non potest esse constitutum alicujus, quod competit alteri: constitutum enim debet constituto convenire o-

mni, soli, & semper. Et certè, se etiam per accidens, Leo esset rationalis, rationalitas non esset constitutiva hominis, ita & in præsentia. Deinde, da rationem, cur per accidens non nisi competat hæc æqualitas geometrica commutativæ justitiæ, saltem in aliquo casu?

RESPONDEBIS 2. Intervenire tunc duplicem justitiam & commutativam, & distributivam.

CONTRA. Tum quia. Nulla est necessitas ponendi duplicem hanc justitiam, cum non sit ratio, quare saltem interdum commutativa justitiæ, non possit uti proportionem geometricam. Tum quia. Debitor reddens quantum potest, sed non totum, utensq; proportionem geometricam, non dicitur distribuere, sed reddere quod debet. Ergo, apparet tunc non intervenire distributivam. Tum quia. Hæc attendentia ad proportionem geometricam, haberi potest, etiam in virtute, quæ non sit justitia commutativa v. g. in liberalitate. Ergo, immeritò dicitur, secundum usum proportionis geometricæ, intervenire duplicem justitiam.

RESPONDEBIS 3. Quod æqualitas geometrica, per se & propter se, requiratur à distributiva, non requiratur propter se à commutativa, sed ut resultet Arithmetica.

CONTRA. Tum quia, si *Ly per se & propter se* hoc importat, quod distributiva, nunquam possit reperiri sine æqualitate geometrica, vera est propositio, sed si *Ly propter se* significat, quod sola distributiva, illa proportionem utatur, probanda hæc ipsa esset propositio. Si autem non sola distributiva utitur illa proportionem. Ergo, æqualitas geometrica, non erit formalisativa distributivæ. Tum quia; sicut commutativa primario intendit, quantum ex contractu debitum, ita distributiva intendit quantum, debitum huic dignitati; cur ergo in posteriori casu, per se attendetur ad proportionem geometricam, & non in priori? Tum quia. Non est major ratio, cur in aliquo casu, non propter se, pro illo casu, requiratur æqualitas geometrica, à commutativa justitiæ? si requiritur à distributiva, propter se.

NON SATISFACIT 2. Attendentia ad medium rationis, habet se non nisi præviè ad actus justitiales. Ergo & attendentia ad prætaxationes proportionis arithmeticæ, & geometricæ, præviè se non nisi habebit, ad actus justitiales.

NON SATISFACIT 3. Accipiamus solutionem debiti, per partes inæquales inæqualium debitorum; accipiamus item præmiationes per præmia inæqualia, inæqualium meritum, utrobique intercedit proportio proportionum; cur ergo in priori casu, non est illa ultimo formalisativa commutativæ, est formalisativa distributivæ?

EXPLICAT 3. Perez. Dicitq; justum commutativum, esse, ipsam æqualitatem dati & accepti,

ceptione cuius sit, ut in contractu & commercio humanis aliquis, non patitur damnum. Unde apparet iustitiam commutativam respicere in persona, cui tribuitur jus, potentiam quantum patendi damnum, in humanis commerciis, & contractibus, curatque facere commutativa, ut hæc commercia & contractus fiant sine damno alterius, nec attendit ad quantitatem dignitatis personæ, sed solum ad quantitatem damni, nisi forte accadat, dignitatem personæ facere, ut damnum sit majus.

Iustum autem distributivum, ut tale, non respicit damnum personæ, cui illud est tribuendum, sed ad dignitatem personæ, cui est proportionale dandum. Duplex autem est in natura rationali potentia. Prima est potentia propria indigentis, potentis recipere bonum & malum, cui prospicit iustitia commutativa: nec aliter prospicere potest, nisi constituendo æqualitatem inter datum & acceptum necessarium. Alia est potentia benefactiva, & hæc est propriè dignitas, cui propriè non debetur lucrum, sed honor. Quod autem virtus benefactiva sit dignitas, patet: quia honor, per Aristotelem, est signum virtutis beneficæ & debitum eidem, at, honorem, certum est, esse dignitatis signum, & deberi dignitati. Ergo, virtus benefactiva est dignitas. Hoc itaque curat iustitia distributiva, ne impediatur virtus benefactiva, sed potius promoveatur ac juvetur, quod idem est ac curare ne impediatur, sed promoveatur virtus activa boni communis. Nam virtus benefactiva commune quoddam bonum est, neque solum quaerit bonum habentis eam virtutem, sed radios bonitatis, extra se diffundit. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia. Videtur supponere, quod sola commutativa, damnum amolitur, cum hoc amolitur etiam distributiva, & si utraq; amolitur injuriam, utraque amolitur damnum: hæc enim in præsentem idem valent. Ecce tamen non est ratio, cur non solvere pro calceis quantum debes, inferat damnum, & non inferat damnum, non habere tantum de præmio, quantum debetur. Tum quia. Videtur supponere, quod iustitia distributiva, quæ talis, respiciat dignitatem personarum, cum respicientia hæc spectet ad prudentiam prætaxantem, hocque ipso non respiceret iustitia medium rei, si formaliter respiceret dignitatem, cum dignitas non sit res, sed id, cui res debetur. Tum quia, quando nomine dignitatis accipit virtutem benefactivam, aut hanc dignitatem accipit, secundum quod est in distribuente, vel secundum quod est in eo, cui distribuitur: si accipit secundum, quod est in distribuente. Ergo, distribuens in distributione respicit se ipsum: quia respicit dignitatem benefactivam, in se inclusam. Ergo, ulterius, non bene merito, sed sibi proportionat præmia, consequenter

non respicit alterum, sed se. Si autem consideretur dignitas, secundum quod est in eo, cui distribuitur, negatur universaliter bene illam circumscribi, quod sit virtus benefactiva, quod ipsum exinde ostenditur: nam quando aliquis pluribus dat eleemosynam, habet virtutem benefactivam, à qua denominatur benefactor, nec tamen per hoc dignitatem acquirit, de qua hic. Rursus dignitas stare potest, etiam si non sit benefactio, hinc si in Repub. Angelorum debeat esse distributio honoris, quamvis non intercederent ulla beneficia ad invicem, tamen dari deberet honor, secundum ipsam excellentiam entitativam, adeoque dignitatem physicam: & tamen sine formalitate beneficientis. In ipso etiam Deo, formalitas digni, & formalitas beneficientis, longè est alia.

Denique virtus benefactiva fundat erga se gratitudinem, deberet autem fundare non nisi debitum distributivæ. Hocque respicit etiam sensus communis: nam non dicuntur benefactores ii, quibus distribuitur aliquid, sed ipsi distribuentes, dicuntur benefacere bene meritis, &c. Si autem nomine virtutis benefactivæ intelligas virtutem merendi, de hoc ipso quaeritur quod formale, iustitiæ distributivæ quæ retribuit hominis virtuti meritivæ.

Punctum Difficultatis 3.

Quod tandem formale distributivæ, & ejus specificativum?

Diximus in materia, de medio rei, quod attendere ad æqualitatem geometricam, spectet ad distributivam completè sumptam; & secundum quod ad illam reducentur, quæcunque nexa & requisita; licet ipsum illud attendere, spectet ad prudentiam, sequens autem hanc taxam æqualitas, spectat ad distributivam, hocque in superioribus dictum: hujus autem æqualitatis, quodnam sit formale nunc dicendum.

EXPLICATUR Formale distributivæ. Sicut in scientiis & habitibus, non repugnat, ut eadem ratio à pluribus attingatur sub diverso formali, ita & idem bonum commune attingere possunt, etiam diversæ species iustitiæ, modo id sub alia & alia formalitate faciant. Cum enim & ipsum bonum commune sit capax terminare alias & alias in se tendentias, dari etiam debent virtutes, illis rationibus attendentes, ut ita potentia actus, & actibus potentia commensuretur.

Porro bonum commune dupliciter, quantum ad præsens, attingi potest. Vel enim attingitur bonum commune, tanquam curandum ab ipsismet privatis, augentibus fortunam communis, dum ei se iustant, & hoc, ut dictum supra, faciet iustitia legalis; vel attingi potest bonum commune, tanquam participandum ab ipsis-

* K